FELIX M. CAPPELLO S. I.
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSOR IURIS CANONICI

TRACTATUS DE IUBILAEO

QUOD VERTENTE ANNO 1929

SS. D. N. Pius Pp. XI

EXTRA ORDINEM INDIXIT

Prov. Calif.

ROMA (119) - Pont. Univ. Gregoriana
Via del Seminario - 120
—
1929

36.49
174

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

FELIX M. CAPPELLO S. I.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSOR IURIS CANONICI

TRACTATUS
DE IUBILAEO

QUOD VERTENTE ANNO 1929

SS. D. N. Pius Pp. XI

EXTRA ORDINEM INDIXIT

ALMA COLLEGE
236.49
LIBRARY
C174
Alma California

ROMA (119) - Pont. Univ. Gregoriana
Via del Seminario - 120

1929

38046

Approbantibus Superioribus ecclesiasticis

Società Tipografica A. Macioce e Pisani — Isola del Liri

Bulla " *Auspicantibus* „ 6 ian. 1929

UNIVERSALE IUBILAEUM EXTRA ORDINEM, AD TOTUM ANNUM 1929 INDICENS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

(A. A. S. 15 ian. 1929, XXI, 5)

Ratio indicendi iubilaeum desumpta ex paternis optatis Pontificis,

Auspicantibus Nobis singulari Dei beneficio annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum, communi omnium Patri nihil fuit, nihil esse poterat optatius, quam ut una Nobiscum filii universi, coniunctis animis precibusque, Deo grates agerent ab eoque opem implorarent tum Nobismet ipsis, tum concreditae Nobis Ecclesiae tot malis periculisque circumventae opportunam; qua quidem ope muniti, et ad christianam amplificandam augendamque fidem et ad vitam sanctius instituendam — quod in Clero potissimum spectamus — omnes erigerentur.

ultronea bonorum communicatione in laetitia Patris

Iucundissima igitur, eademque eo iucundior quo fuit promptior atque alacrior, mirifica illa accidit consensio, qua boni omnes eiusmodi eventum Nobis gratulantes, precibus per hos ipsos inuentis anni dies privatim publice Deo adhibitis et votis laetisque omnibus ad Nos undique delatis celebrare aggressi sunt. Tantus enim ac tam subitus animorum motus id nimirum luculentissime comprobat, piissimae sobolis esse, ut cum aegritudines ac molestias tum laetitiam gaudiumque participet Patris, ob illam quandam veluti necessitudinem, qua tota domestici ipsius convictus societas continetur ac regitur. Lex enim est caritatis praecipua, ut haec non tam verbis quam factis de-

et lege mutuae caritatis.

monstretur, quae quidem facta eiusmodi sint, ut in mutua quadam communione bonorum posita esse videantur.

Eadem vero lege Nos tam arcte adstringimur, ut cum filiis Nostris carissimis, pro facultate, bona participemus Nostra eosdemque in Nostrorum communionem gaudiorum ita vocemus, ut propositis coelestium munerum thesauris, quorum est in Nostra potestate dispensatio, privatam Patris laetitiam communibus filiorum gaudiis atque utilitatibus cumulemus.

Propositum.

Quapropter, decessorum Nostrorum, in primisque Leonis XIII, vestigiis insistentes illud consilium inivimus, ut alterum annum sacrum extra ordinem, in Iubilaei universalis modum — qui vertente anno, idest ad plenum decembrem mensem, contineretur — toto christiano orbi indiceremus. Iamvero largius paterna liberalitate reseratis, per totum hoc temporis spatium, Ecclesiae fontibus, vehementer confidimus, christifideles omnes iam nunc alacrius libentiusque iis salutis praesidiis sic usuros, ut mores privati ac publici emendentur, fidei vigor confirmetur pietatisque ardor excitetur. Etenim, si precandi studium, quod saepe, vel nuper, commendavimus, in christiano populo acrius incendatur, nullum Nobis Ecclesiaeque validius adiumentum gravissimis hisce potissimum reipublicae christianae temporibus obtingere poterit. Eo ipso igitur, quo f. r. decessor Noster Leo XIII, consilio permoti eademque spe ducti, Nos quoque sacrum Iubilaeum indicimus « monendis cohortandisque quotquot sua est cordi salus, ut colligant paulisper sese, et demersas in terram cogitationes ad meliora traducant; quod non privatis solum, sed toti futurum est reipublicae salutare, propterea quod quantum singuli profecerint in animi perfectione sui tantumdem honestatis ac virtutis ad vitam moresque publicos accedet ». Cum autem huc sacer annus spectet, ut laeta fidei incrementa in populo foveantur moresque ad evangelicam legem rite componantur, videtur praeterea diei illius recordatio, quo die sacerdotali potestate aucti sumus, eos omnes, quotquot hac eadem potestate honestantur, commonere vehementius, ut vitam totam ad tanti ordinis dignitatem religiosius in dies sanctiusque conforment. Ex quo multiplici Iubilaei fructu, qui in singulos cives et in societatem humanam manabit, illam denique profecturam esse confidimus, quam quaerimus, pacis Christi absolutam perfectamque in Regno Chisti instaurationem.

Sperati fructus in omnibus fidelibus

Specialiter in sacerdotibus.

Inde profectus pacis Christi in regno Christi.

Decretum.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, ad provehenda fidei incrementa, morum emendationem

et potissimum cleri sanctimoniam, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam ad generalis Iubilaei modum concedimus, ab hoc die usque ad plenum mensem decembrem vertentis anni iucrandam, ita quidem ut sequitur:

Iubilae condictones.

I. Incolae et advenae intra ambitum exsistentes dioecesis Romanae:

I. Intra ambitum dioecesis Romanae.

1° Sive eodem die, sive diversis diebus bis visitent Basilicas Lateranensem SS.mi Salvatoris, Vaticanam S. Petri Ap. et Liberianam S. Mariae Maioris; ibique devotas preces per aliquod temporis spatium effundant ad mentem Summi Pontificis superius propositam ac generatim pro conversione peccatorum, exstirpatione haeresum ac schismatum, pro pace et concordia omnium principum, unde facilius consequentur exaltatio, prosperitas et libertas Ecclesiae catholicae eiusque Capitis, Vicarii Iesu Christi.

1. *Piae visitationes;*

Quod si vel nimia locorum distantia, vel alio iusto impedimento, incolis praesertim suburbii, ad memoratas Basilicas difficilis sit aditus, concedimus ut confessarii singulis permittant accessum ad aliam parochialem Ecclesiam Oratoriumve publicum, ubi Missae Sacrificium celebrari consueverit, ad easdem visitationes similiter complendas.

2° Duobus diebus, praeter illos in quibus ieiunium et abstinentia ex praecepto obligant, ieiunent cum abstinentia ad normam Canonum Codicis I. C.

2. *Ieiunium cum abstinentia;*

3° Confessionem sacramentalem rite instituant, in qua a peccatis absolvantur, praeter confessionem annuam praecepto communi iniunctam; ac sancta Eucharistiae communione pie reficiantur, praeter communionem paschalem.

3. *Confessio et communio;*

4° Tandem aliquam eleemosynam pro sua quisque facultate et pietate, audito confessarii consilio, in aliquod opus pium elargiantur; praecipue Opus Propagationis et Praeservationis fidei commendamus.

4. *Eleemosyna.*

II. Extra Romanam dioecesim, ubique terrarum, praescribimus duas visitationes, vel eodem die vel diversis diebus, pie peragendas in tribus ecclesiis vel oratoriis publicis, in quibus Missa saltem celebrari soleat, quae a loci Ordinario vel ex ipsius mandato assignanda erunt; quod si tot templa alicubi non habeantur, tres visitationes in duobus, aut sex in uno peragantur. Praeterea cetera superius recensita opera a singulis accurate perficienda sunt.

III. Pro iis qui sive Romae, sive ubique collegialiter seu *processionaliter*, ut aiunt, duce parocho aliove designato sacer-

III. Potestas Ordinarii si collegialiter visitentur ecclesiae.

dote, visitationes instituere velint, Ordinarius poterit visitationes prudenti suo arbitrio etiam ad minorem numerum reducere.

IV. Optio visitandarum Ecclesiarum.

IV. Visitationes possint peragi partim in una dioecesi et partim in alia; et in eadem dioecesi partim in uno loco, partim in alio; in templis tamen pro unoquoque loco legitime assignatis.

V. Dispensatio eorum qui impediti fuerint.

V. Fideles, qui fuerint quavis iusta et rationabili causa impediti quominus vel aliquod ex recensitis operibus vel etiam omnia rite compleant, confessarii poterunt dispensare, opera praescripta in aliquod aliud opus commutando.

VI. Dispensatio religiosorum.

VI. Religiosi omnes et quotquot hoc nomine veniunt in parte secunda libri secundi Codicis iuris can., dispensari possunt tum singillatim tum collegialiter a suis immediatis superioribus, commutatis operibus praescriptis in alia, quae tamen non sint sub praecepto debita; Congregationes autem religiosae laicales ab eo sacerdote, qui regimen earum exercet in foro externo; atque, occurrente necessitate, singuli a proprio confessario.

Confessariorum facultates, in genere;

Confessarii, per totum lubilaei tempus, generatim sequantur, in absolvendo et dispensando, disciplinam a Codice Iuris Canonici novissime inductam.

Minime tamen suspendimus extraordinarias facultates utcumque delegatas, quibus forte iidem potiuntur. Sed praeterea has, quas sequuntur facultates ipsis concedimus hoc anno exercendas, intra limites iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae, qua a suis Ordinariis instructi sint. Scilicet, sive Romae, sivi alibi absolvere valeant poenitentes rite dispositos ab omnibus casibus vel ab homine vel a iure, sub censura vel sine censura utcumque reservatis, exceptis dumtaxat casibus cum violationis secreti Sancti Officii, tum specialissimo modo Summo Pontifici reservatis (cann. 2320, 2343, 2367, et 2369 Cod. I. C.), tum denique illis, pro quibus, vel post obtentam vi Canonis 900 absolutionem, obligatio adhuc manet ad S. Poenitentiariam recurrendi et standi eius mandatis (cfr. Decretum Sacrae Poenitentiariae 16 Novembris 1928). Concedimus item singulis confessariis, ut supra approbatis, facultatem dispensandi ex rationabili causa in votis privatis omnibus, etiam iuratis, iis tamen exceptis quae Canone 1309 Sedi Apostolicae reservantur, exceptoque voto acceptato a tertio, cui dispensatio proinde detrimento esset, nisi ipse iuri suo cesserit. Vota quoque poenalia commutari poterunt, sed in opus tantummodo quod aeque efficaciter a peccato retrahat.

in casus reservatos;

in vota,

Condicio pro usu facultatum; quibusnam;

Facultates huiusmodi absolvendi vel dispensandi illis solis applicari possunt, quibus sincerus est animus lucrandi Iubilaeum atque opera praescripta vel commutata adimplendi. Si tamen iidem fideles, applicatione iam obtenta, rationabili impedimento prohibeantur quominus cetera perficiant, benigne statuimus, acceptam applicationem fore item valituram.

in quo foro.

Iisdem porro facultatibus confessarii utantur in solo foro conscientiae etiam extra sacramentali, nisi, ut patet, agatur de peccato sacramentaliter absolvendo.

Quid de nominatim vel publice renuntiatis censuratis.

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, nequeunt tandiu frui beneficio Iubilaei, quandiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos esse ostenderint, poterint, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

Quotuplex occasio indulgentiae; usus facultatum.

Iubilaeum, quod attinet ad plenariam indulgentiam sibi vel animabus purgatorii applicandam, bis aut pluries acquiri potest, iniuncta opera bis aut pluries iterando; sed tum tantummodo, cum Jubilaeum prima vice acquiritur, confessarii uti possunt, etiam pluries, facultate absolvendi a censuris et a casibus reservatis, commutandi vel dispensandi cum eodem poenitente qui nondum omnia opera iniuncta adimpleverit.

Indulgentiae ordinariae; nova propriis Sanctissimi visitationibus.

Vertente Iubilaei anno, nullatenus cessant indulgentiae alias concessae pro operibus distinctis ab operibus Iubilaeo lucrando praescriptis. Imo benigne concedimus, ad augendum cotidie magis precandi spiritum, ut omnes fideles, per huius anni spatium, lucrari possint indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, quoties coram divino Eucharistiae Sacramento, vel clauso Tabernaculo, piae preces aliquandiu ad mentem Summi Pontificis effuderint; idque firmis indulgentiis pro eodem opere alias concessis. Qui autem singulis diebus per integram hebdomandam hanc piam visitationem peregerint, indulgentiam plenariam usitatis conditionibus acquirere possint. Praeterea, ad fovendam toto hoc anno cleri in sacro litando pietatem, singulis sacerdotibus tribuimus, fruendum usque ad diem XXXI mensis Decembris huius anni, privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare.

Concessio cotidiani privilegii personalis pro Sacerdotibus.

Clausulae.

Ut autem Litterae hae Nostrae ad fidelium omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac

sigillo alicuius personae in ecclesiastica auctoritate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dies (6 ian. 1929). Datum Romae apud S. Petrum, die VI mensis Ianuarii, in festo Epiphaniae Domini, anno millesimo nongentesimo vigesimo nono, Pontificatus Nostri septimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Poenitentiarius Maior

Joseph Wilpert, Decanus Coll. Proton. Apostolicorum.

Dominicus Jorio, Protonotarius Apostolicus.

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXIX, n. 37: M. RIGI.
Loco † Plumbi.

ANNOTATIONES

De Iubilaeo (1).

Gestienti animo christifideles universi exceperunt PII XI Const. « *Auspicantibus Nobis* » diei 6 ian. 1929, qua Iubilaeum universale extra ordinem ad totum annum MCMXXIX indicitur.

Opportunum gratumque fore lectoribus existimamus, si nonnulla, breviter saltem ac perspicue, de

(1) PAULLIANUS, *De iubilaeo et indulgentiis*, Romae 1550; BEOZONIUS, *De anno sancto iubilaei*, Venetiis 1559; FRANCHI, *De anno iubilaeo*, Bononiae, 1600; LAVORIUS, *De iubilaeo et indulgentiis*, Romae, 1625; ZEROLA, *De iubilaeo et indulgentiis*, Venetiis, 1700; COLLET, *Traité historique, dogmatique et pratique des indulgences et du jubilé*, Louvain, 1759; BASTIEN, *Tractatus de iubilaeo anni sancti aliisque iubilaeis*, 1901; THEODORUS A SPIRITU SANCTO, *Tractatus historico-dogmaticus de iubilaeo praesertim anni sancti*, Romae, 1750; ROSSI, *De iubilaeo universali anni Domini 1925*, Romae, 1925; VERMEERSCH, *De iubilaeo anni 1925*, Romae, 1925; *Tractatus de iubilaeo quod vertente anno 1926 SS. D. N. Pius PP. XI ad catholicum orbem extendit*, Romae 1926; FERRERES, *El iubileo del anno santo 1925*, Barcelona, 1925; CREUSEN, *L'extension du iubilé en 1926*, Louvain, 1926; FANFANI, *De iubilaeo*, Romae, 1925-26; JOMBART, *Le jubilé universel de 1926*, Louvain, 1926.

eo dicamus. Hunc ordinem nobis servandum praefinimus :

I. *De notione, divisione, fine et fructibus Iubilaei.*

II. *De iis qui possunt Iubilaeum lucrari.*

III. *De conditionibus requisitis ad Iubilaeum lucrandum.*

IV. *De facultatibus concessis confessariis aliisque, de privilegio altaris personali ac de ceteris gratiis.*

V. *De iterata Iubilaei acquisitione.*

ARTICULUS I.

De notione, divisione, fine et fructibus Iubilaei.

1. — Notio Iubilaei. 1. Vox « Iubilaeum », secundum communiter receptam sententiam, ex *iobel* vel *yôbêl* derivatur, quae vox hebraice arietem proprie significat ; atque inde, per metonymiam, arietis cornu huiusque sonitum, seu *buccinam, tubam*, etc. coepit significare. Vocabulum adhibitum fuit ad designandum penes Iudaeos annum sollemnem sabbaticum, qui, cum ad laetum buccinae sonitum indiceretur, *Iubilaeum* seu iubilum vocari consuevit.

Erat autem « *Iubilaeum* » annus quinquagesimus, ut legitur in *Levit.* (cap. XXV. 10-27), i. e. annus remissionis et libertatis restitutae peculiari ratione ac sollemnitate celebrandus.

2. — 2. Iubilaeum definiri potest : *sollemnis indulgentia plenaria a R. Pontifice concessa, cum peculiaribus adnexis facultatibus.*

Indulgentia, ut omnes norunt, est remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii (cfr. can. 911).

Dicitur 1° remissio *poenae,* non autem ipsius

culpae (1). Duplex enim distinguendus est reatus, culpae scil. et poenae. Aliquando in ecclesiasticis monumentis fit sermo de condonandis *peccatis.* Notandum, hac voce significari non solum reatum culpae, verum etiam reatum poenae (2). Hinc patet verborum sensus.

Dicitur 2^0 remissio poenae *temporalis,* quia poena aeterna una cum peccato lethali remittitur.

Dicitur 3^0 *debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis,* quia nulla poena in foro Dei remittitur manente culpa.

Dicitur 4^0 *quam ecclesiastica auctoritas,* quia potestas concedendi indulgentias continetur in potestate clavium, quae uni Ecclesiae concredita est.

Dicitur 5^0 *ex thesauro Ecclesiae,* nempe ex satisfactionibus Christi et Sanctorum. Nam, ut docet. CLEMENS VI in Const. « *Unigenitus Dei Filius* », 12 mart. 1349, infinitus ex satisfactionibus Christi thesaurus exsistit in Ecclesia, ad cuius thesauri cumulum merita B. M. V. et omnium Sanctorum « *adminiculum* » praestant (3). Igitur nomine *thesauri Ecclesiae* venit cumulus superabundans satisfactionum Christi Sanctorumque Ecclesiae dispensandus commissus. Quod iste cumulus sit revera *superabundans,* manifestum est. Infinita enim sunt Christi merita et satisfactiones quae, licet in sacramentis operentur, sua tamen efficacitate excedunt sacramentorum efficaciam, ideoque manent extra sacramentum dispensanda.

Ad Sanctos vero quod attinet, egregie ANGELICUS ait: « Multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multi etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter per quas multi-

---

(1) Cfr. S. THOM., *Suppl.* q. 17. art. 1; B. BELLARM., *De Indulgent.* lib. I, cap. 7.

(2) Cfr. BENED. XIV, *De Synod. dioec.* lib. XIII, cap. 18, n. 7; SUAREZ, *De Poenitentia,* disp. 50, sect. 1, n. 14; BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe,* etc., I, 23 ss.

(3) Cfr. c. 2, *de poenit. et remiss.,* V, 9, in Extravag. comm.

tudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur... Sancti autem, in quibus *superabundantia* operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt, sed *communiter pro tota Ecclesia, sicut* APOSTOLUS *Col. I, 24* ait se *adimplere ea quae desunt passionum Christi in carne sua, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Et sic praedicta merita sunt *communia totius Ecclesiae* » (1).

Hinc evidenter patet cur ex *thesauro Ecclesiae* seu ex illo cumulo satisfactionum Christi et Sanctorum subveniri possit indigentibus. Id sponte sequitur ex *communione Sanctorum*, quae secumfert communicationem bonorum inter omnia membra Ecclesiae militantis, patientis et triumphantis.

Dicitur 6^0 *pro vivis per modum absolutionis,* quia remissio poenae temporalis per indulgentiam est actus verae et proprie dictae iurisdictionis, ubi agitur de vivis, utpote qui subsunt iurisdictioni. Haec quippe titulum confert obtinendi relaxationem vinculi ex parte competentis Superioris, seu indulgentiam consequendi.

Dicitur 7^0 *pro defunctis per modum suffragii,* quia defuncti non amplius Ecclesiae iurisdictioni subsunt, ideoque indulgentia iisdem applicari nequit per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii, nempe *deprecando,* oratione quidem efficacissima sed ordinariis legibus orationis obnoxia (2).

3. — 3. Indulgentia Iubilaei *entitative* et *substantialiter* non differt ab indulgentia plenaria ordinaria; differt ab eadem *accidentaliter* tantum, scilicet ratione sollemnitatis promulgationis et finis, praesertim vero ob facultates adnexas dispensandi super certis votis et impedimentis, absolvendi a reservatis,

(1) *Suppl.* q. 25, art. 1.

(2) Cfr. B. BELLARM., *De indulg.* lib. I, cap. 14, q. 4; SUAREZ, disp. 53, sect. 3, n. 3; LUGO, *De Poenit.* disp. 27, sect. 5, n. 29.

ob maiorem spem lucrandi re vera indulgentiam plenariam propter maiora opera requisita ut conditiones et communem conatum totius Ecclesiae (1).

4. Indulgentia *plenaria* ea dicitur, quae *ex intentione concedentis* tollit *omnem* poenam temporalem pro peccatis debitam. Unde, positis conditionibus ex parte fidelium, i. e. si iniuncta opera impleant et nullam culpam, ne levem quidem, habeant, ipsi remissionem *totius* omnino *poenae temporalis* obtinent, cum R. Pontifex intendat amplissime uti potestate clavium. Ii vero qui adhuc aliquod peccatum veniale habent vel affectum ad illud, non lucrantur *plene* indulgentiam seu remissionem *totius* poenae temporalis; sed iisdem remittitur tantum poena debita pro peccatis iam deletis, non autem quae debetur culpae adhuc remanenti. Igitur effectus indulgentiae Iubilaei, seu cuiuslibet indulgentiae plenariae, divisibilis est ex intentione concedentis, adeo ut qui totam non lucretur, eandem partialiter lucrari valeat (can. 926).

4. — Divisio. 1. Iubilaeum aliud est *ordinarium*, aliud *extraordinarium*.

Ordinarium dicitur quod fixum ac determinatum est, quod nempe celebratur vigesimo quinto quoque anno, idest an. 25, 50, 75, 100. *Extraordinarium* illud vocatur, quod Romani Pontifices, pro suo arbitrio, in quibusdam peculiaribus circumstantiis concedunt, ex. gr. post suam exaltationem, in aliquo sollemniori centenario, recurrente quinquagesimo anno a suscepto sacerdotio vel a recepta consecratione episcopali.

Huiusmodi fuerunt Iubilaea annorum 1879, 1881, 1886, 1904. Tale quoque est Iubilaeum, quo nunc iure laetamur, a Pio XI indictum ad totum annum 1929. Peropportunam eius occasionem ipsemet Summus

(1) Cfr. Cappello, *De sacramentis*, II, nn. 950, 1003; Ball.-Palm. *Opus theologicum*, V, n. 806: Beringer-Steinen, I, 26.

Pontifex peramanter enuntiat: « *Auspicantibus Nobis singulari Dei beneficio annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum*, communi omnium Patri nihil esse poterat optatius, quam ut una Nobiscum filii universi, coniunctis animis precibusque, Deo grates agerent ab eoque opem implorarent tum Nobismet ipsis, tum concreditae Nobis Ecclesiae tot malis periculisque circumventae opportunam; qua quidem ope muniti, et ad christianam amplificandam augendamque fidem et ad vitam sanctius instituendam — quod in Clero potissimum spectamus — omnes erigerentur... Quapropter, decessorum Nostrorum, in primisque Leonis XIII, vestigiis insistentes, illud consilium inivimus, ut alterum annum sacrum extra ordinem, in Iubilaei universalis modum — qui vertente anno, idest ad plenum decembrem mensem contineretur, — toti christiano orbi indiceretur ».

5. — 2. Praeterea Iubilaeum dividitur in *universale* et *particulare*. Illud conceditur *universo Orbi*, cuiusmodi est modo indictum a Pio XI; hoc, contra, conceditur tantum alicui peculiari provinciae, dioecesi, civitati aut loco (1).

3. Inter Iubilaeum *ordinarium* et *extraordinarium* datur magnum discrimen tum quoad *conditiones* praescriptas tum quoad *tempus* illud lucrandi. Nam pro Iubilaeo *ordinario*, generatim haec praescribuntur: *confessio, communio, ecclesiarum visitatio* et *preces* ad mentem R. Pontificis. Pro *extraordinario* praescribuntur, praeter illa, etiam *ieiunium* et *eleemosyna*. Insuper Iubilaeum *ordinarium* prius per integrum annum Romae celebratur, deinde ad universum orbem extenditur; *extraordinarium* simul Urbi et universo Orbi conceditur.

(1) De quodam Iubilaeo particulari quod viget in ecclesia Anicien. (*Le Puy*), quoties Festum Annuntiationis B. M. V. incidit in Feriam VI in Parasceve, et in cathedrali Compostellana pro eo anno quo festum S. Iacobi in diem dominicum incidat, vide Cappello, *De Sacramentis, II*, n. 1004; Rossi, *De Iubilaeo universali*, n. 4.

6. — Finis et fructus. 1. Non bonum mere privatum christifidelium est finis a R. Pontifice intentus in concessione Iubilaei, sed bonum totius Ecclesiae universaeque humanae societatis, nempe pax universalis, unitas fidei, vinculum caritatis, concordia principum, reditus dissidentium ad veram Ecclesiam Christi, conversio peccatorum, morum emendatio, incrementum pietatis, etc. Interdum, praeter huiusmodi finem generalem, R. Pontifex aliquem etiam peculiarem sibi proponit consequendum.

Pius XI hisce verbis finem Iubilaei anni 1929 concinne ac perspicue indicat: « Cum autem *huc sacer annus spectet, ut laeta Fidei incrementa in populo foveantur moresque ad evangelicam legem rite componantur,* videtur *praeterea* diei illius recordatio, quo die sacerdotali potestate aucti sumus, eos omnes, *quotquot hac eadem potestate honestantur*, commonere vehementius, *ut vitam totam ad tanti ordinis dignitatem religiosius in dies sanctiusque conforment.* Ex quo multiplici Iubilaei fructu, qui in singulos cives et in societatem humanam manabit, illam denique profecturam esse confidimus, quam quaerimus, pacis Christi absolutam perfectamque in Regno Christi instaurationem. Itaque... *ad provehenda Fidei incrementa, morum emendationem et potissimum cleri sanctimoniam*, universis et singulis christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam ad generalis Iubilaei modum concedimus ».

Finis *peculiaris,* igitur, intentus a Pio XI in Iubilaeo indicendo, est *sanctimonia cleri.*

2. Quosnam salutares fructus, quaenam maxima bona in totam Ecclesiam et universam societatem humanam Iubilaeum sit allaturum, abunde patet ex modo dictis.

ARTICULUS II.

De iis qui Iubilaeum lucrari valent.

7. — Iubilaeum est universale omnino. 1. Const. « *Auspicantibus Nobis* » haec habet: « Universis et singulis utriusque sexus christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam ad generalis Iubilaei modum concedimus ». Nulla igitur restrictio ponitur quoad loca vel personas vel sexum aut conditionem aut aetatem. Quare omnes et singuli fideles, sive clerici sive laici, sive mares sive feminae, possunt hoc anno vertente Iubilaeum lucrari.

2. Excluduntur, ut palam est, infideles seu non baptizati, haeretici et schismatici omnesque excommunicati (cfr. can. 925, § 1) quippe qui sunt extra communionem fidelium seu Ecclesiae (1).

Item, ex ipsa rei natura, excluduntur omnes qui non sunt doli capaces, v. g. infantes, amentes. Ratio evidens. Cum doli capaces non sint, culpam committere nequeunt; idcirco nec poenae reatum, qui culpam necessario supponit, incurrere valent. Unde huiusmodi incapaces doli poenam temporalem luendam, deficiente culpa actuali, non habent: ergo indulgentia, ex ipso conceptu (cfr. n. 2), applicari nequit.

At ubi primum puer doli capax efficitur, fit capax quoque lucrandi indulgentiam ideoque etiam Iubilaeum.

8. — Num Orientales lucrari valeant Iubilaeum. 1. Pii XI Const. « *Auspicantibus Nobis* » nullam facit mentionem de Orientalibus; quare ex praescripto can. 1 videretur Orientalem Ecclesiam ea non attingere.

2. At contrarium omnino tenendum. Constitutio Pii XI, qua Iubilaeum universale extra ordinem in-

(1) Cfr. Suarez, *De censuris*, disp. VIII, sect. 1, n. 1 ss.; Cappello, *De censuris*, n. 145; D'Annibale, *Summula*, I, n. 360.

dictum fuit, respicit profecto non solum Ecclesiam Latinam, verum etiam Ecclesiam Orientalem. In materia enim indulgentiarum, quippe quae directe et immediate bonum spirituale fidelium ac totius Ecclesiae respicit, nullum datur nec dari potest discrimen inter Latinos et Orientales fideles. Unde indulgentiae, *generaliter* concessae, et in casu Iubilaeum, inter illas materias recensendae sunt, quae « *ex ipsa rei natura* » (can. 1) Ecclesiam quoque Orientalem afficiunt. Id confirmatur responso S. Poenitentiariae diei 7 iul. 1917.

9. — Num Iubilaeum lucrari possint qui actum heroicum caritatis pro animabus purgatorii elicuerint. 1. Hic actus in eo consistit, quod fidelis Deo offerat pro animabus purgatorii omnia opera satisfactoria, quae ipse quoad vixerit peraget, necnon omnia suffragia quae post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt.

Cuique integrum est sua suffragia vel *ex toto* vel *ex parte* Deo offerre pro animabus purgatorii.

2. Qui huiusmodi actum heroicum emisit, per se nequit indulgentiam Iubilaei ita lucrari ut *sibi* applicare valeat; nisi, quod profecto potest, per intentionem acquirendi indulgentiam Iubilaei revocet actum heroicum; eaque acquisita, iterum vim et efficaciam obtinet ille actus, qui nonnisi intuitu Iubilaei lucrandi revocatus fuerit. Nam actus heroicus est semper revocabilis; et semel revocatus, iterum elici seu renovari potest. Quae revocatio potest esse explicita vel implicita, perpetua vel temporanea, ex. gr. si quis revocet, ut modo diximus, in finem dumtaxat lucrandi sibi Iubilaeum (1).

---

(1) Cfr. Cappello, *De sacramentis*, II, n. 1001; Ball.-Palm. V, n. 839.

ARTICULUS III.

De conditionibus requisitis ad Iubilaeum lucrandum

10. — Praemittenda. 1. Ut quis indulgentias lucretur debet esse *baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae* saltem in fine operum praescriptorum, *subditus concedentis* (can. 925, § 1). Praeterea necesse est, *ut opera iniuncta impleantur* statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem (can. cit. § 2). Haec principia de indulgentiis lucrandis in genere, valent etiam de indulgentia Iubilaei.

2. Conditiones requisitae ad Iubilaeum lucrandum sunt sex: 1° *confessio;* 2° *Communio;* 3° *visitatio ecclesiarum;* 4° *preces;* 5° *ieiunium;* 6° *eleemosyna.* De singulis speciatim.

11. — Confessio. 1. Peragi debet intra annum 1929, seu intra tempus ad lucrandum Iubilaeum praefinitum.

2. Confessio *ubique* fieri potest, ex gr. extra propriam paroeciam vel dioecesim.

3. Requiritur confessio *actualis*, nec sufficit confessio saltem bis in mense peracta, quae, contra, satis est ad omnes alias indulgentias lucrandas (cfr can. 931, § 3).

4. Etiam qui sola venialia accusanda habeat, debet confessionem peragere. Is tamen absolutione non indiget. Quare confundenda non est *confessio* cum *absolutione.* Illa omnino requiritur, haec necessaria non est quando poenitens aut nullum peccatum accuset aut leve tantum, seu nonnisi materiam *liberam* afferat (1).

5. Non sufficit confessio *sacrilega* aut *invalida* vel *annua* ex praecepto; opus est ut confessio rite

(1) *S. C. Indulg.* 15 dec. 1841; *Decreta auth.* n. 295, ad II.

fiat eaque distincta sit a confessione annatim praecepta.

6. Non requiritur *extraordinaria* confessio, v. g. generalis. At maxime commendanda videtur aliqua confessio extraordinaria, iuxta prudens confessarii iudicium.

7. Necesse non est ut confessio fiat *expresse* cum intentione satisfaciendi conditioni confessionis praescriptae aut lucrandi Iubilaeum. Requiritur et sufficit confessio *sacramentalis,* ea nempe quae a poenitente instituitur in ordine ad sacramentalem absolutionem, etsi haec non sequatur, quia v. g. confessarius iudicat sine absolutione dimitti posse poenitentem qui sola venialia accusaverit vel materiam tantum dubiam attulerit.

8. Satis est *una* confessio. « Si quis, igitur, post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in lethale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur » (1).

9. Dispensatio a confessione, uti ab aliis iniunctis operibus, potest iusta de causa concedi, ex. gr. poenitenti scrupulis vel anxietate nimia laboranti, qui ex confessione gravissime perturbaretur.

Ex Pii XI Bulla « *Servatoris* », 25 dec. 1925, qua Iubilaeum anni sancti extensum fuit ad totum catholicum orbem, dispensatio a confessione peragenda concedi poterat iis dumtaxat, qui gravi morbo, non alia causa, essent impediti. Non ita Const. « *Auspicantibus Nobis* », 6 ian. 1929, in qua legitur: « Fideles, qui fuerint quavis iusta et rationabili causa impediti quominus vel aliquod ex recensitis operibus vel etiam *omnia* rite compleant, confessarii poterunt dispensare, opera praescripta in aliquod aliud opus commutando (n. V.) ». De huiusmodi dispensatione seu commutatione infra erit sermo (n. **28**).

---

(1) *Monita Poenit.* 31 iul. 1924, n. XIII.

12. — Communio. 1. Requiritur Communio *peculiaris,* i. e. distincta a paschali, recipienda intra annum 1929.

2. Communio *sacrilega* non sufficit, cum pie ac devote Eucharistiae Sacramentum suscipiendum semper sit.

3. Fieri potest *ubique locorum.*

4. Sufficit etiam Communio per modum Viatici. Olim auctores disputabant utrum haec sufficeret necne. Attenta Const. « *Auspicantibus Nobis* », nulla est ratio dubitandi. Nam Summus Pontifex ait: « Sancta Eucharistiae Communione (fideles) pie reficiantur, *praeter Communionem paschalem* » (n. I, 3). Igitur *paschalis* tantum Communio excluditur, non ea quae fit per modum Viatici.

5. Necesse non est ut quis accedat ad sacram Synaxim cum *expressa* voluntate satisfaciendi conditioni Communionis praescriptae aut lucrandi Iubilaeum.

6. Dispensatio a Communione recipienda seu commutatio concedi potest a confessario iusta et rationabili de causa, ut supra dictum est de confessione (n. **11**).

7. Pueri usum rationis assecuti, qui nondum admissi fuerint ad primam Communionem, non excusantur ab hac suscipienda, cum urgeat stricta obligatio eam recipiendi ad normam can. 854, § 1. At si in aliqua regione vel dioecesi, S. Sede id permittente, pueri ad sacram Synaxim post adeptum rationis usum non statim admittantur, iisdem concedenda erit, ad Communionem quod attinet, dispensatio seu commutatio.

13. — Visitatio ecclesiarum. 1. Const. « *Auspicantibus Nobis* » haec statuit:

« I. Incolae et advenae intra ambitum exsistentes dioecesis Romanae:

« 1. Sive eodem die, sive diversis diebus, *bis* visitent Basilicas Lateranensem SS.mi Salvatoris, Vati-

canam S. Petri Ap. et Liberianam S. Mariae Maioris... Quod si vel nimia locorum distantia, vel alio iusto impedimento, incolis, praesertim suburbii ad memoratas Basilicas difficilis sit aditus, concedimus ut confessarii singulis permittant accessum ad aliam parochialem ecclesiam oratoriumve publicum, ubi Missae Sacrificium celebrari consueverit, ad easdem visitationes similiter implendas...

« II. Extra Romanam dioecesim, ubique terrarum praescribimus *duas* visitationes, vel eodem die vel diversis diebus, pie peragendas in *tribus* ecclesiis vel oratoriis publicis, in quibus Missa saltem celebrari soleat, quae a loci Ordinario vel ex ipsius mandato assignanda erunt; quod si tot templa alicubi non habeantur, tres visitationes in duobus, aut sex in uno peragantur...

« III. Pro iis qui sive Romae, sive ubique collegialiter seu *processionaliter,* ut aiunt, duce parocho aliove designato sacerdote, visitationes instituere velint, Ordinarius poterit visitationes prudenti suo arbitrio etiam ad minorem numerum reducere.

« IV. Visitationes possint peragi partim in una dioecesi et partim in alia; et in eadem dioecesi partim in uno loco, partim in alio; in templis tamen pro unoquoque loco legitime assignatis ».

2. Igitur: 1. *Sex* visitationes fieri debent, nimirum vel *duae* visitationes in *tribus* ecclesiis vel oratoriis publicis distinctis, vel *sex* visitationes in *uno eodemque* templo.

2. Distinguendum inter *dioecesim romanam* et *alias quascumque,* Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis itemque Abbatiis et Praelaturis *nullius* quae nomine dioecesium in iure veniunt (can. 215, § 2) non exclusis.

14. — *Incolae* et *advenae* in territorio dioecesis Romanae degentes *bis* visitare tenentur *tres* Basilicas: Lateranensem, Vaticanam et Liberianam.

Putamus vocem « *advenae* » non esse sensu stricto accipiendam ad normam can. 91, sed sensu latiore, ita ut complectatur non solum habentes quasi-domicilium in dioecesi Romana, verum etiam ceteros, seu peregrinos et vagos. Id contextus ipse, finis legis et mens legislatoris, ni fallimur, aperte suadent.

Const. « *Auspicantibus Nobis* » expresse loquitur de *dioecesi Romana,* dum praecedentes Constitutiones, quibus alia Iubilaea indicta fuerunt, loquuntur passim de *Urbe* et *suburbio.* Daturne discrimen? Omnes paroeciae dioecesis Romanae, extra Urbem, intra ambitum suburbii continentur. At quaedam limites ultra suburbium in *agro romano* extensos habent. Suburbium enim ab agro romano plane distinguitur.

4. Confessarii permittere possunt fidelibus, qui ob locorum distantiam aut aliud iustum impedimentum nonnisi cum difficultate accedere possint ad tres praefatas Basilicas, ut, loco earumdem, visitent aliam parochialem ecclesiam, sive propriam sive alienam, aut aliud oratorium publicum (cfr n. **17**). Huiusmodi impedimentum potest esse infirma valetudo, debilitas virium, famulatus, cura familiae, graves urgentesque occupationes, etc.

Licet Const. loquatur « de incolis praesertim suburbii », nihilominus confessarii uti possunt memorata facultate etiam cum fidelibus qui in Urbe commorantur, modo verificetur conditio, scil. quod accessus ad Basilicas sit re vera difficilis. Quae difficultas nec gravissima nec valde gravis requiritur: *moraliter* aestimanda est, omnibus circumstantiis perpensis. Nomine *confessariorum* veniunt omnes sacerdotes legitime approbati ad confessiones audiendas, sive ordinaria sive delegata praediti sint iurisdictione. (Cfr n. **22.**)

15. — 5. *Extra dioecesim Romanam,* ubique locorum, praescribuntur *duae* visitationes, quae peragi

debent in *tribus* ecclesiis vel oratoriis publicis ab Ordinario loci vel de eius mandato *designatis*. Quae *designatio* est conditio absolute necessaria. Nomine *Ordinarii loci* veniunt omnes illi, de quibus in can. 198; idcirco non solum Episcopus aliusve qui, loco Episcopi, dioecesim regat, sed etiam Vicarius Generalis. Ordinarius loci potest ecclesias vel oratoria designare sive per se sive per alium, praesertim per vicarium foraneum in suo territorio. Committi potest designatio etiam ipsi parocho aliive sacerdoti. Nullatenus ea spectat ad Praelatum regularem, qua talem, etiam pro suis subditis.

At non modo attendenda est *designatio* quavis ratione facta, sed *legitima,* peracta nempe vel a loci Ordinario vel ex eius mandato. Unde si parochus arbitrio suo designaret ecclesias visitandas, deesset conditio requisita ad Iubilaeum lucrandum.

Praedicta designatio per annum variare potest, ut ex. g. per duos menses hae ecclesiae, per duos alios, aliae ecclesiae designentur.

6. Si alicubi, extra dioecesim Romanam, non habentur *tres* ecclesiae, ad quas christifideles sine magno incommodo accedere valeant, visitationes fieri possunt in duabus ecclesiis aut in una tantum, nempe vel *tres* in illis vel sex in ista.

Accessus difficilis ad ecclesias vel oratoria publica spectandus est attentis omnibus loci circumstantiis, i. e. non modo distantia, verum etiam viarum asperitate, aeris inconstantia tempore praesertim hiemali, aliisque id genus; praeterea ratio habenda est nedum templorum unius paroeciae seu loci, sed illorum quoque quae in paroeciis sive locis finitimis exsistunt. Defectus templorum est conditio requisita omnino, ut visitationes fieri possint in duobus templis, aut in uno. Nam apertissima sunt verba Const.: « *Quod si tot templa alicubi non habeantur* ». Unde Ordinarius non

posset praetermittere v. g. ecclesiam *regularem* aliamve.

In missionibus exteris accidere potest ut *nullum* habeatur *templum*. Tunc quid erit faciendum ? Si grave fuerit incommodum visitandi ecclesiam viciniorem, Ordinarius loci agere poterit sicut cum impeditis, praecipiendo v. g. ut adeant locum ubi preces communes recitari consueverunt et missionarius aliquando Sacrum facit (1).

16. — 7. Numerus visitationum interdum reduci potest, ita quidem ut non sex fiant, sed quinque vel quatuor aut tres, etc., pro Ordinarii loci prudenti arbitrio. Quae reductio fieri potest pro iis fidelibus qui sive in Urbe sive extra *processionaliter* peragere velint visitationes. Requiritur *publica* processio et *vera*, quae fiat sub ductu parochi aliusve sacerdotis designati vel a parocho ipso vel ab Ordinario loci. Interventus parochi ideo necessarius est, quia ex praescripto can. 462, 7°, parocho reservatur « publicam processionem extra ecclesiam ducere ». At si confraternitati, pio sodalitio, Capitulo, etc. ius legitimum competit publicam ducendi processionem extra ecclesiam, censemus applicandam esse in casu praedictam iuris dispositionem. Necesse non est ut processio instituatur cum pompa, ex. gr. cum vexillis et insignibus. Nec requiritur ut longum iter instituatur per vias et plateas. Putamus sufficere iusta de causa v. g. ob vetitum civilis autoritatis, etiam iter brevissimum, ita ut processio nonnisi circum ecclesiam ducatur.

8. Visitationes fieri possunt sive *eodem die* sive *diversis diebus* tum quoad unum idemque templum tum quoad alia.

9. Circa templa visitanda datur amplissima facultas. Nam quisque peragere potest visitationes sive in propria paroecia, sive in aliena, tam in sua dioecesi

(1) Cfr. Vermeersch in *Periodica*, 1926, 132.

quam in alia, itemque partim in una (paroecia vel dioecesi) et partim in alia. Id unum requiritur et sufficit, ut visitationes instituantur in templis *legitime* designatis.

17. — 3. Templa visitanda sunt *ecclesiae* vel *oratoria publica*. Nomine *ecclesiae* intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata potissimum in eum finem ut omnibus fidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum (can. 1161). Oratorium *publicum* illud est quod tempore saltem divinorum officiorum omnibus fidelibus patet (can. 1188, § 2, 1°). Excluduntur igitur oratoria *privata* seu *domestica* et *semipublica*.

At non omnia et singula oratoria *publica* possunt legitime visitari ratione Iubilaei lucrandi, sed ea tantum in quibus Missa celebrari solet. Ita expresse statuit Const. « *Auspicantibus Nobus* », et antea declaratum fuerat a S. Poenitentiaria die 15 ian. 1886.

4. Ecclesiae *pie* visitandae sunt: ergo animo *colendi Deum*, quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat (1).

Si portae ecclesiae sint clausae, vel si ob alias causas, ex. gr. ob multitudinem fidelium, ingressus prohibeatur, satis est ad earum fores vel gradus Deum exorare.

5. Visitationes quae in *eadem* ecclesia fiant, ita ab invicem distinguendae sunt, ut singulis vicibus in eam ingredi et ab ea egredi necesse sit. Quod si visitationes ad fores ecclesiae peragantur, opus est ut a foribus istis recedas et iterum ad eas accedas.

18. — Preces ad mentem R. Pontificis fundendae. 1. Quaenam sit *mens* Summi Pontificis in hoc iubilaeo ex iis quae supra diximus de fine (n. **6**)

(1) Cfr. Monita S. Poenit. 31 iul. 1924, n. XV.

manifesto patet. Unde ipse Pontifex ait: « Ibique devotas preces per aliquod temporis spatium effundant ad mentem Summi Pontificis *superius propositam* ac generatim *pro conversione peccatorum, exstirpatione haeresum ac schismatum, pro pace et concordia omnium principum*, unde facilius consequentur *exaltatio, prosperitas* et *libertas Ecclesiae catholicae eiusque Capitis, Vicarii Iesu Christi* ».

2. Necesse non est, ad effectum Iubilaei consequendum, ut fideles norint quaenam sit mens R. Pontificis: satis est ut confuse, secundum eiusdem mentem orare velint, seu ut preces fundant prout requiritur ad indulgentiam re vera lucrandam (1).

3. Oratio mere mentalis non sufficit. Aliqua oratio *vocalis*, pro fidelium arbitrio deligenda, requiritur omnino.

Quantum orandum sit, definitum non est. Iuxta communem sententiam, certe sufficiunt quinque *Pater Ave* et *Gloria*.

Preces sunt quidem fundendae in ecclesiis quae visitantur; at non videtur omnino necessarium, saltem ad valorem, ut in *singulis* fundantur.

In praxi consulendum est, ut in singulis visitationibus aliquae preces recitentur.

19. — Ieiunium. 1. Olim praescribi solebat ieiunium *trium* dierum, nempe feria quarta, sexta et sabbato cum abstinentia a carnibus; et quidem ieiunium strictum, ita ut abstinentia quoque ab ovis et lacticiniis exigeretur.

2. De *ieiunio* Const. « *Auspicantibus Nobis* » (n. I, 2°) haec statuit: « *Duobus* diebus, praeter illos in quibus ieiunium et abstinentia ex praecepto obligant, *ieiunent cum abstinentia* ad normam Canonum Codicis I. C. ». Igitur:

---

(1) Monita S. Poenit. 31 iul. 1924, n. XVI.

1° Ieiunium *duorum* dierum praecipitur una *cum abstinentia.*

2° Fieri debet extra dies in quibus urget *aliunde* obligatio ieiunii et abstinentiae, sive huiusmodi obligatio oriatur ex praecepto universali Ecclesiae ad normam can. 1252, sive ex alio capite profluat, v. g. ex voto, ex praecepto Ordinarii loci (can. 1244, § 2), etc.

Attamen P. Vermeersch (1) censet a mente Legistatoris alienum apparere ut spontanea obligatio per *votum* suscepta indulgentias ab operibus promissis tollat. Proinde, in eius sententia, non essent excludendi a diebus utilibus iubilaeo dies quibus quis *ex voto* ieiunare deberet. Haec opinio probabilis videtur.

3° Necesse non est, aliter atque in aliis Iubilaeis, ut duo ieiunia fiant in *eadem* hebdomada. Fieri possunt *distinctis* hebdomadis et *qualibet* feria aut etiam die dominico.

4° Ieiunium et abstinentia peragi debent « ad normam canonum Codicis I. C. ». Porro ex c. 1251, § 1 « lex *ieiunii* praescribit ut nonnisi *unica* per diem *comestio* fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine ». Ex can. 1250, « *abstinentiae* lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium ».

Vetitum non est serotinam refectionem cum prandio permutare (can. 1251, § 2).

3. Praescriptum ieiunium servare debent etiam illi qui ratione aetatis aut nondum aut non amplius ieiunare tenentur; item omnes, qui alias a ieiunio excusati aut dispensati sint. Quod si id praestare nequeant, confessarius debet in alia pia opera ieiunium commutare (2). At illi possunt ieiunare etiam iis diebus

(1) *Theol. moralis,* III, n. 625,
(2) *S. C. Indulg.* 10 iul. 1869; *Decreta auth.* n. 425.

in quibus urget obligatio ieiunii ex iure, cum praeceptum eos non teneat.

20. — Eleemosyna. 1. Const. Pii XI haec habet: « Aliquam eleemosynam pro sua quisque facultate et pietate, audito confessarii consilio, in aliquod opus pium (fideles) elargiantur; praecipue Opus Propagationis et Praeservationis fidei commendamus » (n. I, 4°).

Quantitas eleemosynae non determinatur. Si ea praescribitur *pro cuiusque arbitrio et pietate,* necesse non est ut adsit aliqua proportio inter dantis fortunas et eleemosynam. Sufficit proinde dare pecuniam vel quidlibet aliud quod veram eleemosynam constituat. Si, contra, eleemosyna iubetur *pro cuiusque facultate,* requiritur aliqua proportio inter fortunas dantis et eleemosynam ipsam. Quare sufficiet pauperi, non autem diviti, dare assem. Qui nimia egestate laborent, facile obtinere poterunt dispensationem sive commutationem in aliquod aliud opus. Cum Const. dicat: « pro sua quisque *facultate* et *pietate* », non videtur stricte urgenda illa proportio.

Ne scrupulis et anxietatibus occasio pateat circa eleemosynae quantitatem tutaque conscientia quisque agat, merito Constitutio admonet *consilium confessarii esse audiendum.* Quod tamen nec absolute et pro omnibus requiritur, nec datur stricta obligatio sequendi tale consilium. S. Poenitentiaria, die 23 april. 1886, declaravit « confessarium in consilium adhibendum esse *ab iis, qui de quantitate stipis sibi conveniente dubitant* ». Circa vero *quantitatem* eleemosynae, eodem responso declarandum censuit « quantitatem eatenus debere singulorum facultati respondere, quatenus quae sufficit pauperibus, non sufficit divitibus ».

2. Eleemosyna fieri potest etiam *per alium*, dummodo ille pro quo fit, rei conscius, intentionem suam elicuerit. Sub hac conditione, potest paterfamilias eleemosynam praescriptam dare pro uxore et filiis, Su-

perior religiosus pro subditis suis, dives pro paupere, etc. Religiosi, ut supra dictum est de vere pauperibus, facile obtinere possunt commutationem huius conditionis.

3. Erogatio in favorem pii operis Propagationis et Praeservationis fidei non est praeceptiva. At pro viribus curandum, ut R. Pontificis commendationi satis fiat.

21. — Num requiratur status gratiae in operibus faciendis et quinam ordo in iisdem sit servandus. 1. Necesse non est ut omnia opera fiant *in statu gratiae*. Requiritur status gratiae ante sacram Communionem, et cum ultimum opus impletur. Ratio primi manifesta; ratio secundi quia Iubilaei indulgentia eo momento acquiritur, quo ultimum ponitur opus praescriptum. Necessarium non est, ut status gratiae in fine operum obtineatur per absolutionem sacramentalem. Actus perfectae contritionis sufficit (1).

2. Nullus ordo praescribitur in operibus praestandis, ideoque nihil refert *quo ordine* fiant. Nec repugnat ut quis prius accedat ad sacram Synaxim, dummodo sit in statu gratiae, et postea confessionem instituat; nec opus est, ut quis *expresse* et *actu* intendat divinis epulis refici suaque peccata confiteri intuitu praecise Iubilaei lucrandi.

ARTICULUS IV.

De facultatibus concessis confessariis aliisque, de altari privilegiato ac de ceteris gratiis.

22. — Facultates in genere. 1. Peculiares facultates conceduntur confessariis ad norman iuris approbatis. Itaque pro poenitentibus *saecularibus* istae facultates competunt confessariis *ab Ordinario loci* approbatis, pro religiosis *exemptis* et familiaribus de quibus in can.

(1) (Monita S Poenit., 31 iul. 1924, n. XIII).

514, § 1, confessariis approbatis sive ab Ordinario loci sive a Superiore religionis clericalis exemptae.

Religiosae, quae ex Codice confessionem apud *specialiter* approbatos peragere debent, possunt Iubilaei confessionem instituere apud quemlibet confessarium pro utroque sexu ab Ordinario loci approbatum.

2. Facultas, quae respicit absolutionem a peccatis, exerceri debet necessario *in excipienda confessione Iubilaei;* ceterae etiam in foro interno extra-sacramentali. *Stricto* sensu confessio Iubilaei ea est, qua quis conditioni confessionis requisitae satisfacere *expresse* intendit. *Minus stricte*, sed etiam sufficiens, confessio quam quis peragit quidem cum intentione lucrandi Iubilaeum, at sine *expressa* voluntate satis faciendi per eam condicioni confessionis praescriptae. Demum *latius* est ea confessio quam quis, antequam indulgentiam lucratus sit, *iterat*, servando semper intentionem generalem lucrandi Iubilaeum, ex. gr. ut erga ipsum confessarius quibusdam facultatibus uti possit.

Const. « *Auspicantibus Nobis* » hisce verbis praefatam conditionem statuit: « Facultates huiusmodi absolvendi vel dispensandi illis solis applicari possunt, quibus sincerus est animus lucrandi Iubilaeum atque opera praescripta vel commutata adimplendi. Si tamen iidem fideles, applicatione iam obtenta, rationabili impedimento prohibeantur quominus cetera perficiant, benigne statuimus acceptam applicationem fore item valituram ».

3. Requiritur confessio *sacramentalis* (cfr. n. **11**, 7). *Sincerus animus* est conditio *sine qua non*. Confessarius tamen nec dubius nec anxius sit. Quoties poenitens rite accedit ad confessionem instituendam cum intentione lucrandi Iubilaeum, toties censetur haberi ille sincerus animus requisitus. Nisi contraria adsint indicia positiva, confessario standum est poenitentis attestationi.

Si, facta sacramentali accusatione cum animo sincero lucrandi Iubilaeum, poenitens iudicaretur a confessario indignus absolutione, quidnam foret dicendum? Ita distinguendum: si confessarius *iam usus est suis facultatibus* ante illud iudicium de poenitentis indispositione, usus earum validus manet, licet poenitens, rite monitus, recuset se melius disponere; si confessarius *nondum usus est facultatibus,* poenitens non potest iisdem frui, et debet se melius disponere ut beneficiis Iubilaei gaudere valeat.

4. Nulla absolutio, dispensatio, commutatio concessa fit irrita eo quod *postea* poenitens, rationabili impedimento prohibitus, cetera opera implere non potuerit, ideoque Iubilaeum lucrari. Quidnam, si *absque rationabili impedimento* a lucrando Iubilaeo abstinuerit? Absolutio a peccatis et a censuris profecto irrita non fit. Idem dicendum, ex principiis generalibus iuris, de votorum dispensatione vel commutatione *absolute* concessa.

5. Confessarii *servant omnes facultates quas antea legitime impetrarunt.* Eas cumulate cum iis quae occasione Iubilaei conceduntur, exercere possunt.

23. — 5. Confessarius *pluries* uti valet suis facultatibus, occasione Iubilaei concessis, cum eodem poenitente, donec is Iubilaeum consecutus revera fuerit; non autem *deinceps,* seu ut bis vel pluries indulgentiam Iubilaei lucretur.

6. Confessarii, per totum Iubilaei tempus, generatim sequi debent, in absolvendo et dispensando, disciplinam a Codice iuris canonici inductam (can. 80 ss., 879 ss., 2249 ss.).

7. Uti valent confessarii facultatibus sibi occasione Iubilaei concessis « in solo foro conscientiae etiam extra-sacramentali, nisi, ut patet, agatur de peccato sacramentaliter absolvendo ».

In foro interno extra-sacramentali absolutio a censuris et commutatio dari possunt sive scripto sive oretenus, tum praesenti tum etiam absenti, ex gr. per epistolam.

Confessarius autem facultatibus uti valet tantummodo cum poenitentibus. At nomine *poenitentium* intelliguntur non solum ii qui actu confessionem instituunt, verum etiam illi quorum confessio posset *hic et nunc* excipi a sacerdote, quamvis de facto non confiteantur.

Huiusmodi absolutio vel commutatio in foro interno *singulis* concedenda est, ideoque *singulorum* causa perpendenda ubi agitur de dispensatione sive commutatione. Forum, internum vel externum, sub poena nullitatis absolutionis vel dispensationis concessae attendendum est, quia ad normam can. 202, § 1 actus potestatis iurisdictionis collatae pro foro externo valet quoque pro interno, sed non e converso.

8. Confessarius, ad normam can. 201, § 3, potest secum dispensare in votis, ieiunio, etc., seu omnibus iis facultatibus uti valet in proprium commodum, quae exerceri possunt in foro extra-sacramentali, excepta, ut palam est, absolutione a censuris. Haec quippe est actus potestatis iudicialis, non autem iurisdictionis voluntariae, de qua loquitur citatus can. 201, § 3.

24. — Peculiares facultates circa censuras et casus reservatos. 1. Omnes confessarii, sive Romae sive alibi, absolvere possunt « poenitentes rite dispositos ab omnibus casibus vel ab homine vel a iure, sub censura vel sine censura *utcumque* reservatis... ».

Nihil interest, proinde, utrum agatur de censura occulta an publica, reservata ab Ordinario sibi an potius ab ipso iure reservata Ordinario aut simpliciter vel speciali modo Sedi Apostolicae.

Quaenam excipiuntur? Verba Constitutionis perspicua sunt: « Exceptis dumtaxat casibus cum vio-

lationis secreti Sancti Officii, tum specialissimo modo Summo Pontifici reservatis... tum denique illis, pro quibus, vel post obtentam vi canonis 900 absolutionem, obligatio adhuc manet ad S. Poenitentiariam recurrendi et standi eius mandatis (cfr. Decretum Sacrae Poenitentiariae 16 nov. 1928) ».

Igitur tres casus excipiuntur: duo cum censura, tertius sine censura.

1° Censura seu excommunicatio adnexa violationi secreti S. Officii, quae censura practice aequiparatur iis quae specialissimo modo reservantur Sedi Apostolicae (cfr. can. 239, § 1, 1°) (1).

2° Excommunicationes reservatae *specialissimo modo* S. Sedi. Sunt quatuor: *a*) contra abiicientes vel ad malum finem abducentes aut retinentes species consecratas (can. 2320); *b*) contra violentas manus in personam R. Pontificis iniicientes (can. 2343, § 1, 1°); *c*) contra absolventes vel fingentes absolvere complicem in peccato turpi (can. 2367); *d*) contra confessarios, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserint (can. 2369, § 1) (2).

3° Ex decreto S. Poenitentiarae 16 nov. 1928, *reservatur Apostolicae Sedi* peccatum confessariorum sacramentaliter absolventium quos quomodocumque noverint factioni « *L' Action Française* » actu adhaerentes, quique ab ipsis, uti tenentur, moniti, ab ea se retrahere renuant. « Huius *reservationis* ea vis est ut in illis quoque casibus, in quibus iuxta canonicas dispositiones quaevis reservatio cessat, onus adhuc remaneat praedictis sacerdotibus ad S. Poenitentiariam recurrendi, sub poena excommunicationis specialiter Sanctae Sedi reservatae, intra mensem a die obtentae sacramentalis absolutionis, vel postquam convaluerint si aegroti, et standi eius mandatis » (3).

(1) Cappello, *Tractatus canonico-moralis de censuris*, n. 207.
(2) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 163 ss.
(3) *Acta Apost. Sedis*, XX, 398.

25. — 2. Absolutio in casu danda est « *iniuncta salutari poenitentia aliisque de iure iniungendis,* seu adamussim servatis normis praescriptis, v. g. de scandalo reparando, de restitutione facienda, etc.

3. Confessarius, si quem absolverit a censura publica, ipsum monere debet, licere quidem ut etiam in actibus fori externi se gerat tamquam absolutum, sed *remoto scandalo;* atque integrum Superioribus manere, ut censuram in foro externo urgeant, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo (cfr. can. 2251).

« Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati nequeunt tamdiu frui beneficio Iubilaei, quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, poterunt, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris ». Ita Constitutio.

1° Agitur de censura, quae impedit receptionem sacramentorum : huiusmodi est excommunicatio vel interdictum personale.

2° Sermo est de iis qui vel *nominatim* (expressis nomine, cognomine, officio, loco, etc.) sint censurati sive per sententiam sive per praeceptum, vel uti censurati *publice,* item per sententiam aut praeceptum, *declarati* fuerint (cfr. can. 1933, § 4, 2225).

3. Isti nequeunt frui beneficio Iubilaei, ideoque sacramentalem absolutionem recipere et lucrari indulgentiam plenariam, nisi prius in foro *externo* satisfecerint, seu nisi prius recursum fecerint ad legitimum Superiorem qui censuram inflixit aut sententiam vel praeceptum tulit, scandalum et damnum reparaverint.

Si vero sint sincere contriti riteque dispositi,

possunt, remoto scandalo (quod practice, ipso accessu ad sacramenta recipienda amoveri videtur), absolvi in foro sacramentali, sed solum in finem lucrandi Iubilaeum, et quidem cum onere quam primum, i. e. intra mensem, recurrendi ad Superiorem, de quo supra, eiusque standi mandatis.

26. — 4. Confessarii non prohibentur, ad normam can. 2254, absolvere in casibus *urgentioribus* etiam a censura adnexa revelationi secreti S. Officii et a censuris specialissimo modo reservatis Sedi Apostolicae; iniuncto tamen onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem, saltem per epistolam et confessarium, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad habentem facultatem et standi eius mandatis (1).

5. In ceteris casibus confessarius ita absolvit a censuris, ut nulla sit obligatio *postea* recurrendi vel ad S. Poenitentiariam vel ad habentem facultatem. In hoc consistit *peculiaris* facultas occasione Iubilaei concessa confessario, qui proinde totum negotium exsequitur, iniunctis iniungendis.

27. — Peculiares facultates circa vota. 1. Confessarii occasione Iubilaei, dispensare possunt, ex rationabili causa, ab omnibus votis *privatis,* etiam iuratis.

Excipiuntur: 1. vota *publica,* cuiusmodi sunt omnia vota religiosa; 2. vota privata, sed *reservata* S. Sedi, nempe: votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum (can. 1309); 3. votum factum in favorem tertii ab eoque acceptatum, nisi ipse iuri suo cesserit. Huius ratio manifesta. Nam vovens in tali casu obligatur non solum erga Deum vi voti, sed etiam vi promissionis erga alterum,

(1) Cfr CAPPELLO, *De censuris,* n. 124.

qui acceptando promissionem ius acquisivit in rem promissam: hoc autem ius sine acceptantis consensu remitti nequit.

2. Dispensatio nonnisi ex *rationabili* causa, mediocriter quidem gravi, concedenda est: quae causa ad *valorem* dispensationis requiritur. Aliter ac in quibusdam casibus, confessarius vota in alia pia opera dispensando commutare non omnino tenetur; sed, rationabili et proportionata causa existente, potest poenitentem a votis dispensare etiam absque commutatione proprie dicta. Attamen palam est confessarium posse quoque ea vota commutare, et quidem in minus bonum ad normam can. 1314.

Vota *poenalia* — quae tunc habentur, cum sub conditione culpae promittitur poena luenda — *commutari* poterunt, sed in opus tantummodo quod *aeque* efficaciter a peccato retrahat.

3. Quae de votorum dispensatione vel commutatione dicta sunt, applicantur etiam iuramentis promissoriis (can. 1320). Unde confessarius, occasione Iubilaei, potest quoque dispensare vel commutare iuramenta promissoria, iis tantum exceptis quorum dispensatio vel commutatio cedat in praeiudicium aliorum.

4. Secus ac in nonnullis praecedentibus Iubilaeis, nulla facultas tribuitur confessariis, in hoc Iubilaeo, dispensandi super irregularitatibus et impedimentis matrimonialibus.

28. — Facultas dispensandi seu commutandi opera iniuncta. 1. Const. « *Auspicantibus Nobis* » haec habet: « Fideles, qui fuerint quavis iusta et rationabili causa impediti quominus vel aliquod ex recensitis operibus vel etiam omnia rite compleant, confessarii poterunt dispensare, opera praescripta in aliquod aliud opus commutando » (n. V). Quare:

1° Huiusmodi facultas competit omnibus et singulis confessariis.

2° Eatenus fideles possunt *legitime* dispensari, quatenus iusta et rationabili causa praepediantur ab implendis operibus praescriptis.

3° Dispensari possunt *vel* ab uno tantum aut *altero* ex operibus praeceptis — confessione, Communione, visitatione ecclesiarum, precibus ad mentem R. Pontificis, ieiunio cum abstinentia, eleemosyna — *vel* etiam ab omnibus.

4° Requiritur et sufficit causa *iusta* et *rationabilis,* quaecumque ea sit; generatim loquendo, mediocriter gravis, interdum etiam levis. At profecto causa gravior necessaria est pro dispensatione ab omnibus operibus, quam pro dispensatione ab uno dumtaxat alterove opere.

5° Non vera et proprie dicta dispensatio concedenda est, sed *commutatio.* Scil. confessarius debet *commutare* opera praescripta, quae fideles rite complere nequeunt, *in aliquod aliud opus*, etiam minus, arbitrio eiusdem confessarii designandum, secundum aetatem, sexum, vires, conditionem poenitentium.

6° Iusta et rationabili causa deficiente, huiusmodi dispensatio seu commutatio foret illicita et invalida; in dubio de sufficientia causae licite et valide concedi potest (can. 84).

7° Si opus ipsum, in quod facta fuit commutatio, nequeat impleri a fideli, hic potest sive a confessario priore sive ab alio novam illius operis commutationem impetrare.

8° Quod si, post concessam a confessario dispensationem seu commutationem, poenitens, cessante impedimento, valeat opus praescriptum implere, potest certe illud ponere; imo generatim tenetur, cum dispensatio in casu censeatur habere tractum successivum, ad normam can. 86.

29. — 2. « Religiosi omnes et quotquot hoc nomine veniunt in parte secunda libri secundi Codicis

iuris canonici dispensari possunt tum singillatim tum collegialiter a suis immediatis Superioribus, commutatis operibus praescriptis in alia, quae tamen non sint sub praecepto debita; Congregationes autem religiosae laicales ab eo sacerdote, qui regimen earum exercet in foro externo; atque, occurrente necessitate, singuli a proprio confessario ». Ita Const. « *Auspicantibus Nobis* » (n. VI).

Igitur: 1. Religiosi proprie dicti seu qui tria vita publica nuncupant, et sodales qui vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes (can. 487, 488, 673), possunt dispensari *singillatim* et *collegialiter*.

2. *Singillatim* dispensantur tum a confessario tum a Superiore vel a sacerdote qui eisdem praeest, ut statim explicabitur; *collegialiter* dispensari possunt tantum a Superiore vel a praedicto sacerdote.

3. Dispensare valent omnes Superiores immediati, sive maiores sive locales, at suos tantum respectivos subditos. Num etiam novitios, postulantes aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis de quibus in can. 514, § 12? De novitiis ambigendum non videtur, attento can. 567, § 1. Idem verius dicendum de ceteris, *tum* quia indultum dispensandi seu commutandi in casu est late interpretandum, *tum* quia praedictae personae — quae in can. 514, § 1 numerantur — ex iure communi subsunt revera potestati Superioris religionis clericalis exemptae (cfr can. 875, § 1, 1313, 2°).

3. Congregationes *laicales,* sive religiosae proprie dictae sive non religiosae stricto sensu, ut supra (n. 1) animadversum fuit, tam virorum quam mulierum, dispensantur singillatim vel collegialiter « ab eo sacerdote, qui regimen earum exercet in foro externo ». Palam est religiones et societates mulierum esse omnes *laicales;* virorum religiones et societates dicuntur *lai-*

cales, si plerique earum sodales sacerdotio ex instituto non augentur, secus *clericales* vocantur (can. 488, 4⁰, 673, § 2). Dicitur « ab eo *sacerdote* », quia dispensatio est actus iurisdictionis, quae clericis competit exercenda, non vero laicis. Dicitur « *qui regimen earum exercet in foro externo* », quia dispensatio *collegialiter* concessa vim exserit atque effectum iuridicum sortitur in foro externo, ideoque concedi nequit nisi ab illa persona ecclesiastica quae iurisdictione gaudet in tali foro. Quinam erit iste sacerdos? Putamus verba « qui regimen earum exercet in foro externo » esse lato sensu accipienda.

Quoad *congregationes religiosas* et *societates mulierum* tam iuris dioecesani quam iuris pontificii, dispensare potest Ordinarius loci vel sacerdos ab eo delegatus qui illis praeest cum iurisdictione saltem partiali.

Quoad *monasteria monialium,* distinguendum: si Praelato regulari subsint, hic dispensare valet; si non subsint, facultas dispensandi est penes Ordinarium loci vel sacerdotem ab eo legitime deputatum.

Quod attinet ad *virorum* religiones et societates *laicales,* ita distinguendum: si privilegio *exemptionis* gaudent, dispensare valet sacerdos qui earumdem Superioris munere fungitur; si *exemptae* non sint, Ordinarius loci et sacerdos qui eisdem praeest in foro externo dispensandi potestate potiuntur.

Cum agatur in casu de facultate delegata a S. Sede, potest etiam subdelegari cappellano aliive sacerdoti, ad normam can. 199, § 2.

4. Dispensatio concedenda est per *commutationem* in alia opera, et non alias; quae opera non sint praestanda ex alio capite, utpote debita *sub praecepto.* Excluduntur proinde opera praestanda ex lege communi Ecclesiae, ex mandato Episcopi sive Superioris etc.

30. — Privilegium personale. 1. « Praeterea, ad fovendam toto hoc anno cleri in Sacro litando pieta-

tem, singulis sacerdotibus tribuimus fruendum usque ad diem XXXI mensis Decembris huius anni, privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare ». Const. Pii XI.

1° Agitur, ut manifesto patet, de *privilegio personali*, concesso videlicet ipsi *sacerdoti*, qui proinde indulgentiam altaris privilegiati seu plenariam applicare potest, *ubicumque* celebret sive in ecclesia sive in oratorio publico aut semi-publico aut privato. Dum e contra privilegium *locale* seu *reale* dicitur, quod est adnexum *altari*, adeo ut omnes et soli sacerdotes qui in eo celebrent, privilegio fruantur.

2° Privilegium personale integro hoc anno, nempe usque ad diem trigesimam primam inclusive, tribuitur *omnibus* et *singulis* sacerdotibus, et quidem *quotidianum:* eoque illi fruuntur independenter a Iubilaei acquisitione.

3° Huiusmodi privilegium consistit in *plenaria indulgentia*, quae, spectata mente S. Pontificis et usu potestatis clavium, animam statim liberet ab omnibus poenis purgatorii; spectato autem applicationis effectu, intelligenda est indulgentia cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet (1).

4° Indulgentia plenaria conceditur favore animae, pro qua Missa applicatur. Unde Missa et indulgentia *nequeunt dividi*, sed utraque *pro eodem defuncto* est applicanda (2).

Si applicatur pro pluribus defunctis, indulgentia ad unum ex iis limitatur, qui praevie determinari potest a celebrante. Pendet enim a celebrantis voluntate num *huic* potius quam *alteri* indulgentiam applicare velit. (3).

---

(1) Cfr. *S. C Indulg.* 28 iul. 1840; *Decreta auth.* n. 286.

(2) *S. C. Indulg.* 18 dec. 1885.

(3) *S. C. Indulg.* 29 febr. 1864, 19 iun. 1880 (*Decreta auth.*, nn. 402, 405); *S. Poenit.* 6 iul. 1917 (*Acta Apost. Sedis, X*, 440).

Necesse non est ut celebrans peculiarem habeat intentionem applicandi indulgentiam defuncto pro quo Sacrum facit; nec opus est ut sciat Missam, ad mentem eleemosynam dantis applicandam, esse pro defuncto. Unde sacerdos, privilegium forte ignorans aut de eo nullatenus cogitans, nihilominus privilegio gaudet et indulgentia applicatur animae in purgatorio detentae, dummodo pro ea Sacrum fiat (1).

Non nulli, ut accepimus, privilegium sacerdotibus litantibus concessum ita intelligere velint, ut indulgentia plenaria separari queat a Missae applicatione pro defunctis. Haec interpretatio vere probabilis non videtur, quia leges, ad normam can. 18, intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem ab ipso legislatore passim admissam et receptam. Porro quoties documenta S. Sedis loquuntur de « *altari privilegiato personali quotidiano* » vel, quod idem est, « *de privilegio personali quotidiano* », aut « *de personali privilegio quotidie fruendo* » — quo gaudent v. g. Cardinales, Episcopi, plures religiones, sodales quarumdam consociationum, quotquot actum heroicum caritatis elicuerunt — semper loquuntur *de privilegio personali fruendo secundum normas et conditiones ab ipsa Sede Apostolica iam praefinitas* (S. C. Indulg. 29 febr. 1864; 19 iun. 1880; 18 dec. 1885; 23 ian. 1901, etc.). Cum *clare* et *expresse* hisce normis et conditionibus Constitutio Pii XI nullatenus deroget, iisdem necessario standum est. Proinde, donec authentice declaratum fuerit contrarium, opinio praedicta tuto posse retineri non videtur.

5. Qui ex pluribus titulis gaudet privilegio altaris, una eodemque Missa nequit pro numero titulorum, quibus fruitur, plures indulgentias plenarias applicare, sed unam tantum.

---

(1) Cfr. *S. C. Indulg.*, 12 mart. 1855 (*Decreta auth.*, n. 366); *S. Off.* 17 iun. 1915 (*Acta Apost. Sedis*, VII, 410).

31. — 2. Ut sacerdos praefato privilegio gaudeat, non tenetur Missam *de Requie* dicere, quoties per rubricas id liceat; decet tamen huiusmodi Missam, quantum fieri potest, celebrari. Item qui ratione *expositionis* SS.mi Sacramenti, aut Stationis ecclesiae, vel alterius *sollemnitatis*, dicit Missam de die vel votivam, quando per rubricas liceret Missam *de Requie* dicere, fruitur nihilominus privilegio (1).

3. Indulgentia applicatur etsi sacerdos Sacrum faciat — quod Deus omnino avertat — in statu peccati lethalis (2). Nam efficacia privilegii non personalibus sacerdotis dispositionibus nititur, sed unice ex potestate R. Pontificis et Ecclesiae thesauro provenit.

4. Celebrans ratione privilegii maiorem Missae eleemosynam exigere nequaquam potest. Si id faceret, gravissimum simoniae delictum committeret.

32. — **Nulla suspensio indulgentiarum.** Dum R. Pontifex indicit Iubilaeum, praesertim ordinarium, solet indulgentias, nonnullis exceptis, suspendere per totum annum sanctum. V. g. in Const. « *Ex quo* », 5 iul. 1924, Pius XI haec decreverat: « Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas aut ab aliis quoquo pacto concessas.... decernimus per totum annum sanctum vivis nequaquam prodesse, sed tantummodo defunctis ».

Aliter in hoc Iubilaeo. Nam Const. « *Auspicantibus Nobis* » statuit: « Vertente Iubilaei anno, *nullatenus* cessant indulgentiae alias concessae pro operibus distinctis ab operibus Iubilaeo lucrando praescriptis ».

33. — **Novae indulgentiae.** Fideles per huius anni 1929 spatium lucrari possunt indulgentiam sep-

---

(1) Cfr. *S. C. Indulg.* 11 april. 1840, ad I et III; 11 april. 1864 (*Decreta auth.*, nn. 281, 404); *S. Off.* 20 febr. 1913.

(2) Cfr. CAPPELLO, *De sacramentis*, I, n. 764, II, n. 968.

tem annorum totidemque quadragenarum, quoties coram divino Eucharistiae Sacramento, vel clauso Tabernaculo, pias preces aliquandiu ad mentem R. Pontificis effuderint; idque firmis indulgentiis pro eodem opere alias concessis.

Qui singulis diebus per integram hebdomadam hanc piam visitationem peregerint, indulgentiam plenariam usitatis conditionibus acquirere possunt. Ita Const. « *Auspicantibus Nobis* ».

ARTICULUS V.

De iterata Iubilaei acquisitione.

34. — Quoties indulgentia Iubilaei acquiri possit. Haec sunt verba Constitutionis: « Iubilaeum, quod attinet ad plenariam indulgentiam sibi vel animabus purgatorii applicandam, bis aut pluries acquiri potest, iniuncta opera bis aut pluries iterando; sed tum tantummodo cum Iubilaeum prima vice acquiritur, confessarii uti possunt, etiam pluries, facultate absolvendi a censuris et a casibus reservatis, commutandi vel dispensandi cum eodem poenitente qui nondum omnia opera iniuncta adimpleverit ». Igitur:

1° Omnes christifideles *toties* lucrari valent indulgentiam plenariam Iubilaei, *quoties* opera praescripta iterant.

2° Attentis verbis Constitutionis, non videtur quis prohiberi quominus *pluries* indulgentiam Iubilaei *sibi* lucretur. Haec interpretatio retineri potest, donec contrarium authentice declaratum fuerit. Id affirmamus, quia indulgentia Iubilaei, secus ac aliae indulgentiae plenariae, generatim, ut constat ex praecedentibus Iubilaeis, *semel* tantum *sibi* a fidelibus acquiri potest, *deinceps* pro animabus purgatorii.

3° Eatenus bis aut pluries acquiri potest indulgentia Iubilaei, quatenus iterentur opera praescripta, sive ea quae a pontificia Constitutione exiguntur, scil.

confessio, Communio, visitationes, preces, ieiunium et eleemosyna, sive ea quae ex legitima dispensatione seu commutatione satis sunt.

4. Confessarius *pluries* uti valet facultate absolvendi, commutandi vel dispensandi erga eundem, at solum occasione Iubilaei *prima* vice lucrandi. Quare, postquam semel Iubilaeum ille acquisierit, prioribus concessionibus uti pergere quidem potest, novas autem operum commutationes aut dispensationes iam impetrare non poterit. Idem dicendum de absolutione a censuris et a casibus reservatis. Proinde poenitens, qui peculiari facultate indiguit quando prima vice indulgentiam Iubilaei acquisivit, *nequit*, si denuo indigeat, *frui iterum illa peculiari facultate*, sed, ubi velit novam indulgentiam lucrari, tractandus est a confessario secundum normas communes, perinde ac si non ageretur de Iubilaeo.

Poenitens vero qui facultatibus concessis *non indiguit* quando prima die Iubilaeum lucratus est, si nunc iis indiget ad Iubilaeum iterum lucrandum pro defunctis, potest quidem praefatis facultatibus frui, at *semel* dumtaxat. Si poenitens cum prima vice opera praescripta peragit ad Iubilaei indulgentiam lucrandam, iterum atque iterum indigeat facultatibus peculiaribus, poterit iisdem *etiam pluries* frui iterando confessionem, usque dum revera Iubilaeum acquisierit.

5° Constitutio « *Auspicantibus Nobis* » loquitur tantum de *confessariis*. Quare ea quae diximus de vetito usu facultatum post *semel* acquisitum Iubilaeum, non videntur applicanda Superioribus religiosorum ceterisque, de quibus supra (n. **29**).

6° Poenitens, qui a confessario obtinuerit dispensationem vel commutationem, potest, hac relicta, uti dispensatione vel commutatione *collegialiter* concessa a Superioribus aliisve sacerdotibus praedictis.

236.49
C 174

38046

CAPPELLO, S.I., FELIX M.
AUTHOR

Tractatus de Iubilaeo
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

38046